


Cromwell, Oliver

Aphographum litterarum serenissimi Protectoris Olverii Cromwelli, ...



Handschrift // / 125 B 11 c Br. 1656

Tillkomstår 1656.

Digitaliserad år 2019



National Library
of Sweden

APOGRAPHUM
LITTERARUM

Serenissimi PROTECTORIS

OLIVERII CROMWELLI,

Quas scripsit ad Excelsos & Præpotentes

D. D. ORDINES GENERALES
FOEDERATI BELGII

Die $\frac{21}{31}$ Augusti, 1656.

Una cum

RESPONSO eorundem ORDINUM
Ad D. PROTECTOREM

Dato 22. Septembris 1656.



ANNO M. DC. LVI.

*list by
Pocit
(m)
o
1656*

*Excelsi & Præpotentes Domini, Amici & Fæderati
Charissimi. &c.*



Non dubitamus nos quidem, quin omnes testimonium hoc nobis prohiberi sint, nullas in contrahendis externis amicitis rationes defendendæ Religionis veritate potiores unquam nobis fuisse, nec conjungendis eorum animis, qui Protestantium vel amici ac defensores, vel saltem non hostes essent, antiquius nos quicquam habuisse. Quo graviore animi dolore commovemur, quoties annunciatum est, Protestantium Principes ac Civitates, quæ sibi mutuo amicissimè, summeque concordēs esse deberent, suspectos inter se esse & non optimè animatos. Vos præsertim Regemque Sueciæ, quibus fortiores Orthodoxa fides defensores non habet, neque socios nostra Respublica conjunctiores, videri non æquè ac consuevisis vobis invicem confidere, imò judicia quædam vel nascentis inter vos dissidii, vel vacillantis amicitia hæud obscure apparere. Causæ quæ fuerint utrinque, & usque quo progressa animorum alienatio sit, ignotum esse nobis, profiteamur. Veruntamen hæud potuimus, quin gravem hanc molestiam animo caperemus ex ipsis initiis vel minimæ dissensionis inter fratres coortæ, ex qua tantum creati Protestantium rebus discrimen necesse sit, quæque si ingravesceret (quod Deus ne siverit) quantum inde reformatis Ecclesiis periculum impenderet, quanta triumphandi materies inimicis nostris, & Hispanis potissimum daretur, latere vestram prudentiam usu rerum solertissimam non potest. Hispano certè tantum hinc fiducia, tantum spiritus accessit, ut non dubitaverit per Legatum suum apud vos commorantem,

tem, sua vobis consilia, idque de summa Reipublicæ vestræ
audacissimè obtrudere, & partim injecto renovandi belli me-
tu terrere, partim ostentata utilitatis falsa specie sollicitare ve-
stros animos est ausus, ut relictis ejus hortatu, amicis vetustis
ac fidelissimis, Gallo, Anglo, ac Suevo, arctissimam cum ho-
ste ac tyranno quondam vestro, pacato nunc scilicet, & quod
maximè metuendum est, blandiente, coire societatem velle-
tis. Sanè qui ex hoste inveteratissimo arrepta tam levi occa-
sione, pro Consiliario repente vestro se gerit, quid est, quod
iste sibi non sumeret, quò non audacia progredetur, si cer-
nere id semel oculis posset, quod nunc animo duntaxat con-
cipit atque molitur, discordiam nempe inter Protestantes ac
bellum intestinum? Nescii non sumus, vos pro vestra sapi-
entia, quis sit Europæ universæ status, quæ Protestantium
præsertim conditio sapius cum animis vestris cogitare; Hel-
vetiorum pagos orthodoxam fidem sequentes novorum
motuum à popularibus suis fidem Papæ sequentibus jam
jamque ciendorum expectatione suspensòs teneri: ex eo
vix dum bello emerfos, quod Religionis causa ab Hispano,
qui hostibus eorum & Duces dederat, & pecuniam suppedita-
verat, conflatum est atque accensum: Vallium Alpinarum
incolis Consilia Hispanorum eandem rursus machinari ean-
dem atque perniciem, quam superiore anno crudelissimè in-
tulerunt: Protestantes Germanos sub ditione Cæsaris gra-
vissimè vexari, sedesque patrias ægrè retinere: Regemque
Sueciæ, quem Deus, uti speramus, fortissimum orthodoxæ
religionis propugnatorem excitavit, cum potentissimis Re-
formatae fidei hostibus bellum anceps & asperrimum totis
regni viribus gerere: Vestris Provinciis infesta vicinorum Pa-
pistarum, quorum Princeps Hispanus est, nuper icta fœdera
minitari. Nos denique in dicto Hispanorum Regis bello esse
occupatos. In hac rerum inclinatione, si quæ inter vos Re-
gemque Sueciæ discordia existeret, Reformatarum totius
Euro-

Europæ Ecclesiarum quàm miseranda conditio esset, quæ
hostium crudelitati ac furori penitus objicerentur? Hæc nos
cura haud leviter tangit, eundemque vestrum esse sensum con-
fidimus, proque vestro in communi Protestantium causa præ-
claro semper studio, ut pax inter fratres eandem fidem, ean-
dem spem sequentes intemerata sequeretur, vos vestra Con-
silia ad has rationes esse accommodaturos, quæ cæteris qui-
buscunque anteponendæ sunt, nec quod paci inter vos, Re-
gemque Sueciæ stabilendæ possit conducere, quicquam esse
omissuros. Qua in re si nos ului ulli esse possumus, quantum
apud utrosque, vel auctoritate vel gratia valeamus, nostram vo-
bis operam libentissimè profitemur: Sueciæ quoque Regi ean-
dem deferre paratissimi, ad quem etiam legationem quam-
primum mittere in animo habemus, quæ hac de re, quid
nostra sententia sit, exponat; Deumque vestros animos ad
moderata Consilia flexurum esse speramus, Vosque exhibi-
turum ne quid ab alterutra parte fiat, quod irritare possit,
remque ad extrema deducere. Sed ut contra, pars utraque
removeat velit quicquid alterutri offensum aut suspiciosum
esse queat. Id si feceritis, & hostes frustabimini, & amicis so-
latio eritis, & vestræ denique salutis, Reique publicæ quam
optimè prospicietis. Hoc etiam uti persuasissimum vobis sit
rogamus, daturos nos esse operam, quoties facultas oblata
fuerit, ubi nostrum erga fœderatas Belgii Provincias sum-
mum studium, benevolentiaque appareat. Deum proinde
assiduis precibus obtestamur, ut vestram Rempublicam pa-
ce, opibus, libertate, atque imprimis Christianæ fidei amore
ac vero cultu florentissimam conservare perpetuò velit.
Ex palatio nostro Westmonaster. d. 21. Aug. 1656.

Vester bonus Amicus.

OLIVIER.

R E S P O N S U M
D. D. ORDINVM GENERALIVM

Ad præmissas litteras

D. PROTECTORIS GROMWELLI

Serenissime &c.

Nihil nobis Celsitudinis Vestrae literis datis Westmonasterii vicesimo primo Augusti proximè præteriti, hodie nobis redditis gratius accidit, quippe cum ex iis magis magisque confirmemur (uti manifestis indicis ac testimoniis ante hac edocti sumus) Celsitudinem Vestram in laudabili illo & verè Christiano proposito perseverare ac sedulo operam dare, ut vera & sine ullo fūco pax inter Principes, ac Civitates quæ orthodoxam fidem sequuntur, colatur, ideoque eam non parum commoveri, quoties admoneatur eosdem Principes ac Civitates non optimè inter se animatos esse, præcipuè ubi inaudierit quædam, vel nascentis dissidii, vel vacillantis amicitia non obscura inditia inter Regem Sueciae & nos apparere; quæ cum certo nobis persuadeamus si reverà ita se haberent, non parvam molestiam Celsitudinis Vestrae, pro pio & proclivi in omnes Protestantes, & peculiariter in Serenissimum Regem Sueciae & nos animo, creatura fuisse, quippe qui inter Regem & Rempublicam sibi conjunctissimos dissidia cerneret, non potuimus non Celsitudini Vestrae pro tam propenso in nos amore, & tam pia ac fraterna pro utrisque cura & sollicitudine gratias agere, eademque opera ipsi indicare, tantum abesse, quod nos quidem sciamus, ut dissidia inter Regem Sueciae & nos
me.

metuenda sint, ut etiam Legatos nostros extra ordinem ad eundem Regem missos, jam fœdus cum illo fecisse, formulasque fœderis, unâ cum Regiis ministris subscripsisse, confidamus, cujus fœderis exemplum, statim à receptione ad Legatum nostrum Neoportium missuri sumus, ut ejus copiam Celsitudini Vestrae faciat, eademque opera secundum pacta conventa deliberare possit, num illo comprehendi cupiat. Itaque etiam in hoc nomine Celsitudini Vestrae gratias agimus, quod tam præclaro studio mediationem suam componendis, si quæ essent, inter Regem Sueciae, & Nos dissidiis, offerre voluerit, Quod superest

Serenissime &c. DEUM Opt: Max: precamur, ut Celsitudinem Vestram diu communi Reipublicae Christianae & orthodoxae fidei bono servet incolumem. Hagæ 22. Septemb. 1656.



Secundum. 1626.
& orthodoxi sicut bene sicut incommen. Hic
Christiani Vestimentum dicitur in Reipublica Christiana
DEUM Opt. Max. precantur, in
offere volunt. Quod superest
pendis si per eam, inter Regem successit, & Nos diffidit
tunc quodam preclaro studio meditatione in eam compo-
sitae etiam istud nomine Celsitudinis Vestire status ag-
concordia debetate possit, cum illo comprehendit cupiat.
Celsitudinis Vestire facta, cadentque opera secundum pacta
gatum non tam Negotiorum multum sumus, nec eius copiam
damus, eius locutus extempus, sicut a receptione ad Le-
satis locutus, una cum Regis ministris subiectis, con-
cunctis Regem mittos, iam locutus cum illo recte, formu-
mentenda sunt, ne etiam Legatos nostros extra ordinem ad

